ante triduum mihi nunciatum est Bremae de scriptis
pestis nihil hactenus repertum esse. Habeo hic adole-
scentes octo, quibus informandis me privatim exerceo.
Scribe quo loco sint res in Flandria et quid de te tuisque
constitueris. Vale. 10. Cal. octob. 1666.

Amicus et frater
Johannes Molang.
Duisburgi:

82.) Gulielmo Rockelfingero, discipulo,
commoranti apud Illustr. [illegible]
Dusseldorpii

Pax Christi.

Credo vos ex doctore Lithodio resciisse me esse Duis-
burgi. Commoratus hic sum jam dies 16, sed quos mi- [= Mscr. a. 7: Nr. 154]
hi ad animi relaxationem sumpseram, eos fere
in morbo consumpsi. Nunc tamen Christi bene-
ficio et Doctoris fide paulatim ad me redeo,
et ita confirmor, ut pueros nostros doceam, et
amicis epistolas mittam. Non tamen adeo firmus
sum adhuc, ut isthuc venire audeam. Si Stepha-
nulum volet mater mittere, ego hunc mensem
(utique non) hic haereo, partim soceri consuetudi-
ne me oblectans, partim meorum familiarium
institutione. Adduxi meum huc adveniens Hen-
ricum Lindwerum, aequalem tuum, eum porro hinc
viatico et literis instructum, ablegavimus Heidel-
bergam. Spero te quoque propediem eodem esse itu-
rum, nisi tibi ex usu putabis esse hanc hyemem
Dusseldorpii cum Thoma nostro exerceri. Cete-
rasque scholas Germaniae scio magna licentia corru-
ptas esse. Heidelbergae ajunt majorem libera-
tionem astu integraque institui de juventu-
tis. Attamen quoque devertes in fines eventum
simul et tristia naufragiorum exempla. Tuae
piissimae parenti curae erit (scio) et tibi, ut quam
optimis te adjungas. Ego sicut egregie carum te
habeo, ita magnopere te hortor, ut pergas tui
quam simillimus, hoc est, doctrinae simul et pie-

re pietatis studiosissimus esse. Proinde si ad aliquem
magnum gregem ibis, non solum à corruptela morum,
unde minus tibi timeo, sed multò magis à sectarum conta-
giis memineris esse cavendum, quod ut fiat facilius, repete
memoria quoties Apostolice doctrine testimoniis do-
~~ctrine~~ vobis inculcaverim, externum ministerium do-
ctrine Christiane studiosè colendum esse, neq; eos
audiendos, qui fingunt sibi spiritualem quandam vitam
cum tamen externam predicationem Evangelii, et
publicum usum Sacramentorum Jesu Christi aspernen-
tur. Meministi S. Marcum in paucis capitibus
que vobis enarravi decies et amplius hoc iterasse, quan-
to studio ipse Preceptor omnium Jesus Christus assi-
duus fuerit in externa predicatione Evangelice
doctrine, nunc domi, nunc in synagoga, nunc in
solitudine, docendi laborem urgens, sine ulla intermis-
sione. Nimirum quia Deus pater hoc unicum
medium (nempe externum ministerium) ordinavit,
per quod Spiritus sanctus est efficax ad inchoandam
in cordibus credentium spiritualem justitiam et vi-
tam. Sicut Romanis scribit Apost. Non pudet
(inquit) me predicare vobis Christum, est enim
potens quoddam organum Dei, ad salutem cuivis cre-
denti. Cum autem Deus eternus velit in Ecclesia ex-
ternum ministerium, hoc est publicas conciones
Evangelii et publicum usum Sacramentorum cum
exercitiis spiritualibus conjunctum esse, resistunt
Spiritui sancto qui obtentu spiritualis exercitii,
congressus publicos contemnunt, in quibus Dei ver-
bum integrè incorruptèq; annunciatur, homo enim
non potest sine scelere disjungere que immuta-
bili mandato Deus conjunxit. Sed quorsum hec? non
quod tibi monitore sit opus, sed ut cogites si velis sta-
re in Domino, (ut debes) et suscipienda tibi esse
cum malo genio difficilia certamina et non temerè
cuivis spiritui credendum. Vale. Nonis Septembris
1566. Salutem dic tue venerande matri et ejus libe-
ris, quum potes officiosissimè Duisburgi

Te amans constanter
Johannes Nolang.

[Postscriptum von
Mscr. a. 7: Nr. 154 fehlt]